



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Portvgallen. Et Lamecen. Episcopis, & Abbati de Burio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tiā liquidò declaratur. In qua re caussa quoque quinque episcopatum Gallæciæ, scilicet Tudensis, Auriensis, Minduniensis, Lucensis & Astoricensis, qui à bonæ memoriæ Alexandro Papa prædecessore nostro venerabili fratri nostro P. Compostellan. Archiepiscopo pro illis fuerant assignati, terminata dignoscitur, cum principali quaestione sopita, & accessoria per consequentiam sit sublata. Ut autem super hoc nulla impostorum dubietas oriatur, fraternitati tuæ auctoritate præsentium duximus concedendum ut super præfatis episcopatibus Gallæciæ indubitanter pertinentibus ad metropolim Bracarensem propter ea quæ hæctenus gesta sunt non valeas de cetero conveniri. Præsentibus quoque litteris duximus annotandum quòd præfatus Cōpostellanus Archiepiscopus archiepiscopatus sui nomine præmissis episcopatibus, Colimbriensi scilicet, Vifensi, Tudensi, Auriensi, Minduniensi, Lucensi & Astoricensi, Ecclesiis etiam sancti Victoris & sancti Fructuosi, cum omnibus pertinentiis suis, & medietari Bracaren. renunciavit in perpetuum in præsentia nostra & fratrum nostrorum, super quibus fuerat à partibus litigatum. Datum Laterani XIII. Kal. Augusti.

*VIMANENSI, DE COSTA,
& de sancto Tornaco Prioribus.*

*Epist. 170.
Vt Archiepiscopo Bracaren-
si obediant.
Cap. Cum
non liceat, De
prescriptioni-
bus.*

Cum non liceat à capite membra recedere, non sufficimus admirari quòd, sicut referente venerabili fratre nostro Bracarensi Archiepiscopo nostris est auribus intimatum, licet Ecclesiæ vestræ in ipsius sint diocesi constitutæ, vos tamen nullum exemptionis privilegium prætendentes, obedire sibi tanquam Episcopo vestro contumaciter recusatis. Cum igitur crimen ariolandi sit repugnare, & scelus idolatriæ nolle acquiescere, sustinere nolentes quòd subditi Prælati suis non obediant, ut tenentur, de communi fratrum nostrorum consilio per apostolica vobis scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, quatenus præfato Archiepiscopo & Ecclesiæ Bracarensi obedientiam & reverentiam debitam, sicut alij Clerici suæ diocesis faciunt, de cetero sine contradictione qualibet impendatis, præscriptione temporis non obstante. Alioquin sententiam quam idem in vos vel Ecclesias vestras propter

hoc rationabiliter tulerit, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. Datum Laterani XII. Kalendas Augusti.

*PORTVGALLEN. ET LAMECEN.
Episcopis, & Abbati de Burio.*

Intimante venerabili fratre nostro Bracarensi Archiepiscopo nostris est auribus intimatum quòd dilectus filius Prior sancti Martini de Castro, occasione cuiusdam privilegij quod pendente lite de novo eodem Archiepiscopo ignorante à bonæ memoriæ Celestino Papa prædecessore nostro dicitur impetratum, obedientiam consueram & reverentiam debitam denegat exhibere. Cum igitur de jure naturali procedat, & hoc ipsum in Evangelio Dominus manifestet, quòd quæcunque volumus ut faciant nobis homines, & nos eadem eis facere debeamus, sicut nobis ab aliis debitum honorem impendi, sic fratribus & cõepiscopis nostris à subditis deferri volentes, eidem Priori de communi fratrum nostrorum consilio per scripta nostra præcipiendo mandamus ut non obstante hujusmodi privilegio, neque commissione ad te, frater Episcope, & prius Episcopum Lamecensem & dilectum filium Priorem Ecclesiæ postea impetrata, præfato Archiepiscopo & Ecclesiæ Bracarensi de cetero sine contradictione qualibet, sicut alij Prælati suæ diocesis faciunt, humiliter obedire procuret. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si prædictus Prior mandato nostro parere noluerit, vos eum ad id veritate cognita per censuram ecclesiasticam sine appellationis obstaculo compellatis. Quòd si omnes &c. Datum ut supra.

*OXOMENSI, PORTVGALLENSI,
& Placentinensi Episcopis.*

Cum olim inter Toleranam & Bracarensem Ecclesias super Zamorensi episcopatu, quem tunc Toleranus Archiepiscopus, ut dicitur, possidebat, quaestio verteretur, felicitis recordationis Eugenius Papa prædecessor noster, nec Compostellanensi Archiepiscopo nec Episcopo Zamorensi citato, nec denuntiatione aliqua, sicut venerabilis frater noster Compostellanensis Archiepiscopus asseverat, super hoc facta eidem,

*Epist. 171.
Vt Archiepiscopo Bracaren-
si Priorem S.
Martini de Ca-
stro obedire co-
gant.*

*Epist. 171.
Vt causam
Compostellani
& Bracaren.
Archiepiscopi
super Ecclesia
Zamoren-
si cognoscant.*